AUGUSTINUS
12. Jh. Seite 36r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26123
Copyright: Admont, Benediktinerstift



dixerit uenienti ut baptizaretur. ego magis a te debeo baptizari.
hoc enim ei dixit ante quam columba descenderet. Ex quo apparet.
quamuis eum iam nosset. nam etiam & in utero matris exultauit
cum ad elisabeth maria uenisset. aliquid tamen in eo quod nondum
nouerat columbe descensione didicisse. quod ipse scilicet bapti-
zaret in spiritu sancto. propria quadam & diuina potestate. ut nullus
homo qui accepisset adeo baptismum etiam si aliquem baptizaret
posset dicere suum esse quod traderet. uel a se dari spiritum sanctum. Sequitur
matheus & dicit. Tunc ihesus ductus est in desertum ab spiritu ut temp-
taretur a diabolo. Et cum ieiunasset .xl. diebus & .xl. noctibus postea
esuriit. Et accedens temptator dixit ei. Si filius dei es. dic ut lapi-
des isti panes fiant. Qui respondens dixit. Scriptum est. non in pane
solo uiuit homo. sed in omni uerbo quod procedit de ore dei. & cetera
usque ad id quod dictum est. tunc reliquit eum diabolus. & ecce
angeli accesserunt. & ministrabant ei. Totum hoc similiter lucas narrat.
& si non eodem ordine. Unde incertum est quid prius factum sit
utrum regna terre prius demonstrata sint ei. & postea in pinna
templi leuatus sit. an hoc prius & illud postea. nichil tamen ad rem
dum omnia facta esse manifestum sit. Et quod aliis uerbis easdem
sententias lucas explicat. non semper commendandum est. cum nichil
depereat ueritati. Marcus autem attestatur quidem eum in deserto
a diabolo esse temptatum .xl. diebus & noctibus. sed tacet quid ei dictum
sit. quid ue responderit. Item quod lucas pretermisit. iste non
tacuit. quod angeli ministrabant illi. iohannes uero totum
istum pretermisit. Sequitur narrans matheus. Cum autem
audisset quod iohannes traditus esset. secessit in galyleam. Hoc
& marcus dicit. hoc & lucas. sed lucas de iohanne tradito
nichil hoc loco dicit. Iohannes autem euangelista priusquam
iret ihesus in galyleam. dicit petrum & andream